Limes agro positus. litem ut discerneret aruis;
Dispensator ei fuit obuius ecce repente
Regius. huncque rogat sibi quis frumenta dedisset;
Maluit ille mori largum quam prodere amicum;
Dispensator ad hec furiis accensus et ira.
Stringere compedibus miserandum pede mandat utroque.
Seruet et hunc uigilum custodia nocte dieque.
Uerberibus lanians. flagris. scopisque cruentans.
Matte tenusque hominem crucient tormenta. dehincque
crypte Plecteret hunc gladii tortor mucrone recocti; abradenes
Protinus inuadit stringitque satelles egenum.
Ducit et aduillam peruerso tramite clearan;
Peruenerunt quo carcer erat. quem sedibus imis
Tortores clausere truces. uestigiaque eius
Ligno mersa cauo. uinclisque tenacibus artant;
Abscessere. et ibi clausum liquere misellum;
Soluitur oceano. uigilum custodia uenit.
Carceris ima petit. uallans hinc inde ligatum;
Flammea nocturnas pepulit candela tenebras.
Et uigiles prime duxere crepuscula noctis;
Mitibus interea miser e custodibus unum
Poscebat uerbis. ut ei comodare parumper
Dignetur modicum. secet unde superflua cultrum
Unguibus; oranti fauet ille benignus. eique
Ferrum porrexit. totis et nisibus ille
Inuocat astrigero qui regnat in arce tonantem.
Et rogat ut sancti precibus succurreret illi.
Posset ut instantis uitare pericula mortis;
Tempus erat quo prima quies mortalibus egris
Incipit. et fessos gratissima serpit in artus;
Opprimit et uigiles sopor ecce grauissimus omnes.
Cumque forent ebrii. siceraque meroque sepulti.
Sic simul horrisono stertunt spiramine cuncti;
Uidit ut hoc uigilans. ingenti compede strictus
Ingemit. exorans tacito clamore dominum. qui
Erigit elisos. soluitque ligamine uinctos.